

§. 5. Sèd hæc indistinctionis & Materiæ seu Numeri consideratio magis *interna* dici potest , quæ Corpus ab intra spectatum, h. e. partes intra complexum Corporis comprehensas & inter se relatas, concernit.

Præter hanc , etiam *externa* Materiæ vel Corporis indistincte spectati consideratio datur, quâ (nullâ partium mentione factâ) Corpus, tanquam *totum* subjectum, *extra se* refertur ad alia subjecta, sed similiter, ut ipsum, indistinctè spectanda , non attendendo modum corporis specialem , quo ab illis aliis subjectis differt, & in esse proprio constituitur ; sed respiciendo saltem communem rationem subjectivam, quâ Corpus cum illis subjectis convenit , ipsisque *simile* vel *æquale*, vel, quod perinde est, cum ipsis *idem*, dici potest.

§. 6. Hic ipse conceptus indistinctus Corporis, ut totius ad extra relati, *Materiam* quasi *respectivam* Corporis suppeditat , quæ nomen *Generis* sustinet. Indistinctus enim totius Corporis conceptus , ad extra, dicitur *Conceptus genericus* , & absolutè **GENUS**, quod in ipso Corpore nihil aliud est, quam indistincta Corporis conceptibilitas, quâ totum, sine distinctione suæ proprietatis ab aliis totis aliter constitutis, potius *æquè* ac alia tota subjecta, (similiter ut alia,) concipitur, ut eatenus *idem* cum aliis esse dici possit. Ita *Silex* indistinctè consideratus, sed ad extra v. g. ad *Gemmam* similiter indistinctè spectatam relatus, cum ipsâ convenit in materiâ respectivâ tanquam in eodem genere. Nam similitudo vel *æqualitas*, h.e. *æqualis* conceptibilitas, quâ *silex* cum *gemma* convenit , v. g. *mineralitas*, largitur conceptum genericum, & materialem ad extra, quâ *silex* indistinctus est à *gemma*, quâ non differt à *gemma*, sive quâ *similis*, & quidem summè *similis*, i. e. *æqualis* est *gemma*, quâ cum *gemma* dīci potest *idem*. *Silex* enim est *Minerale*; sed & *gemma* est *minerale*; ergò *silex* & *gemma*, saltim eatenus, *idem* sunt, quatenus communem rationem inter se fovent.

§. 7. Et sic ad puram Corporis suppositionem spectat **GENUS**, quod idem est ac *Materia* seu *Numerus*, nisi quod *Genus* respectum simul ad extra connotet in toto Corpore , cùm *Numerus* partium & inexistentia *Materia* constitutiva saltem intra substantiam Corporis terminentur. Est enim *Genus*, quatenus in Corpore spectatur, nihil a-